

Johann Nicolaus Quistorp Christian Pristaff

Ideam Studiosi Theologiae Gnsis Talis

Rostochii: Richelius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736015612>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 6. Nov 1686

Quistoup, Johann
~~Priester, Christianus~~

I.O.D.I.S.N.G.
IDEAM

STUDIOSI THEO-
LOGIÆ ΓΝΗΣΙΩΣ
TALIS,

Annunte DEO Benignissimo
sub Præsidio

VIRI

Reverendi admodum, & Amplissimi,

DN. JOHANNIS NICOLAI
QVISTORPII,

S. S. Theol. Doct: & ad Div. Nicolai Pastoris
meritissimi,

Domini Fautoris, Præceptoris, & Evergetæ nullo
non observantiæ cultu prosequendi

d. 6. Nov. Anno 1686.

In Auditorio Majori

Publicæ, benignæque Eruditorum ventilationi
submittit

AUCTOR

CHRISTIANUS Pristaff

Zednic. March.

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIUS, Ampliff. Senat. Typograph.

I.O.D.I.S.N.G.
ID EAM

STUDIOSI THEO-
LOGIAE THEO-
TALIS,

Annuncie DBO Benignissimo
sub Præsidio

V I R I

Reverendi admodum, & Amplissimi,


DN JOHANNIS NICOLAI

QVISTORPII

S. S. Theol. Doct. & ad Div. Nicolai Pastoris
mandatum

Domini Furore, Præceptoris, & Evergetæ nullo

non obli-
visti-
Majori



Tulæ, benignæque Eriditionum ventationi
inducit

A U C T O R

CHRISTIANUS

Zebais. M. d. c.

ROSTOCK

Impressit JACOBUS RICHTER, Typographus

Hæc methodus multum ^{W U 3} Tibi profit, *sanctæ juvenis,*
Et, PRISTAFFE, Tibi cœlifer hicce labor!
quibus applaud.

JOHANNES PISTORIUS, Friedl:

•••••
SAn wolein blinder Mañ den Blinden richtig leiten/
Daß sie nicht bennde fort zur Gruben solten schreie
ten?

So kan kein Lehrer sich zum rechten Führer stellen/
Der im Erkantniß blind von Gott/ geht zu der Hellen.
Darumb wer andre wil den Weg zum Himmel lehren/
Muß ersten selbstn sich vom breiten Weg' abkehren/
Der Jugend schönede Lust und faul Geschwätze meiden
So kan der Wahrheits-Geist durch Ihn die Heerde weidē:
Im Wort und Wandel sich auch kan zum Fürbild stellen
Im Glauben und der Lieb': Troß der Verleumder Vellen!
Diß ist von Jugend auff durch Gottes Trieb/ dein Sinnen/

Mein Theurer Freund/ dahin geht täglich dein Begiñen/
Daß du untadelich in Christo so dein Leben
Magst führen/ damit du kanst gur' Exempel geben:
Dahin sieht jetzt allein dein löblich disputiren
Daß durch dein Fürbild du viel andre magst anführen.
Ich wünsche Glück' dar zu/ fahr fort also zu lehren/
Daß du magst Christi Reich durch Gottes Gnad vermeh-
ren/

Und nach volbrachtem Lauff die Gnaden Kron empfangen
Die Lehrern ist bereit vor Gott damit zu prangen!

Dieses hat in Eyl seinem wehrtesten Freunde mit An-
wünschung aller Erspriechl. als er zum dritten mahl
rühmliçst publice disputiret beysügen wollen.

J. K. W.

In Herz so seinen Gott gar ernstlich sucht und
meinet/
Hingegen Üppigkeit zu lieben ganz verneinet/
Sucht einzig Gottes Ehr/ besodert dessen Reich/
Es wünscht/ daß seinem Sinn einjeder werde gleich.
Du o! mein wehrter Freund/ bezeugst mit Lehr
und Leben/
Daß dein geschickter Sinn sich habe Gott ergeben:
Du lehrest was du bist/ du drückst es denen aus/
Die auch nach diesen woln vorstehn des Herren
Haus.
So recht! fahr hierin fort/ ich wünsch zu dein Beginnen
Von Gottes höchsten Geist/wol ausgezietete Sinnen/
Die kühnlich folgen nach/ dem/ was du hast gelehrt/
Auff daß des höchsten Ehr in allen werd vermehrt.

Diß schrieb wolmeinend

P. K. Gustr.





Eplorandam Ecclesie visibilis esse conditionem, lamentabilem innumerorum cœcitate[m], insignem animas plurimorum occupasse pravitate[m], tanto animi dolore, & molestia advertunt, & tota die cernunt, in quorum cordibus *illuxit dies, & exortus est Lucifer* 2. Petr. I, 19. ut non possint non in gemitu, questu, lachrymas & vota effundi, & cum Prophetâ conque-
rentes dicere: *Quis dabit capiti nostro aquam, & plorabimus die & nocte* Jer. IX, 1. & introspeciendo penitus in omnes ferme Ecclesie ordines, cum Christo intuente Hierosolymam *lachrymare*? Vid. omnino *M. Christianus Scri- verus Pastor Magdeb. Rev. Ministerii Senior, in Seelen-Schatz Tom. I. p. 300. & D. Johann Quistorpius in p. Desid.* Quam pauci sunt, de quibus predicari verissime potest, quod de primitiva Ecclesia Spiritus S. in Sacris literis testatur? Quam rara est illa patientia, quâ primigenii Christianorum in perferendis injuriis, (mirabile dictu[m] est) læti usi sunt? ubicunq; gentium latent, quos Christus verissimus ille testis, *beatos predicat, qui lugent, quive mites animis* Sc. *Matth. V, 2. 3. 4. 5. 6. & seqq.* Nonne vera religio pedibus obteritur? nonne plurimi, docti & indocti cum illo Episcopo nomen habent, quod vivunt, & mortui sunt? Sanè, qui circum circa dispexerit, nisi plane excoecatus fuerit, non tot viva membra, quot cadavera Ecclesie deprehendet. Quam pauci sunt, in quibus viva, & salvifica fides, & vita illa gratiæ est, per quam homo in altiorem vitæ gradum elevatus, justè & sanctè coram Deo vivit? quotus quisque Evangelio Christi digne ambulat? Nonne caro perniciosissimus ille hostis Spiritus ita apud plurimos dominatur, ut nec sanæ quidem rationi locus ullus sit? Nonne mors spiritualis, quod ex ejus haud fallacibus notis constat, omnes ordines occupat? *Conf. 2. Tim. III, 1. 2. 3. Luc. XII, 8. Lutherus Tom. II. Altenb. f. 175. f. 25. D. Kortbolt im Theologischen zur Beförderung der Gotts- seeligkeit angesehen Tractätlein p. m. 1. 2. 3. 4. 5. &c. &c.* Non falso Ergo nostro tempore dicere possumus, quod suo tempore *Salvianus*, in Epist. ad Ecclesiam catholicam scitè scripsit: *Multiplicatis fidei populis fides imminuta est, & crescentibus filiis suis, mater egrotat: Factaque est Ecclesia profectu tue san- ditudinis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida.*

§. II. Hæc funesta Ecclesie Christianæ pestis, ut sine summa injuria nostræ doctrinæ imputari nequit: (hac enim nihil profectò verius, nihil explicatius, nihil efficacius, nihil perfectius est.) Sic summo jure in genere vel ignorantia, cujus cœcitate verum cernere non possunt, vel actuali & malitiosæ incredulitati, cui homines omnium ordinum, sexuum atq; ætatum indulgent, in

in specie vero neglecta, id est neque offensae recte, neque calcatae viae ad verum veram, & genuinam Theologiae fructum, fruitionem nempe Dei, adscribi potest. Pauci sunt qui Dei gloriam ante omnia quaerunt, qui suos discipulos, ut renatos Dei filios spiritualiter perficere in Christo annuntiant, illorum renovationem, illuminationem, & sanctificationem principaliter intendunt; qui omni ratione contendunt, ut formalem Theologiae finem, qui est fructio Dei obtineant auditores, qui se & gregem Christi recte pascere docent & discunt. Et quid non putas exinde mali in Ecclesiam Christi redundare? Ejusmodi nempe officio sacro praefecti, fallaces animabus sunt *tenebrae*, cum illis praestare debuissent, quod mundo *Sol*, & corporibus nostris *viva lucerna* praestant. Et quid mirum, si auditores perpetua sub nocte ambulare deprehendunt, (quantquam aliquos Scripturam duce, ad lucem producat immensa Dei bonitas.) Si enim *oculus malus est, totum corpus tenebricosum erit*, & si lumen quod in te est tenebrae sunt, quanta erunt ipsius *tenebrae* *Matth. V. 13.* tales, qui essent *sal terra*, sine omni virtute & acrimonia sunt. Ad quantam autem corruptelam & immutationem Ecclesiae, sine lachrymis nullo modo dici potest. Ah! quid boni sperari potest ab illis, qui a puro corde, conscientiam bonam, & fide haud simulata aberrantes, *in vaniloquium deflexerunt, qui volunt esse legis Doctores, & non intelligunt quae loquuntur, nec de quibus asseverant* 1. Tim. I. 6. 7. B. Chemnitius in sua Harmonia ita loquitur: *Mundus per se corruptioni obnoxius, insulsus & insipidus est: Quando igitur illi quibus ministerium commendatum, salem illum vel corrumpunt, vel non adhibent, sicut Deus praescripsit, ut mordicando virtutem suam exerat, tunc mundus non potest alia re saliri, ut cum Deo reconcilietur, atque ita, quia nullum aliud medium est, per quod Deus vult ab aeterna perditione liberare, quam in hoc sale, necesse erit, mundum in sua corruptione perire.* B. Calov. *Pædia Theol.* Cap. II. p. 27. *inquit: Qui affectibus ducuntur & reguntur carnalibus, quanto doctiores evadunt, tanto majori damno evadunt Ecclesiae.* Johann. Matt. Meyfart. *in lib. de disciplina Academica* p. 349. *LXXXIIX.* Ex neglecta Studiosorum ad veram Theologiam manu ductione fluentia mala recenset. Potissimam, si non omnem, plurimorum perditionis causam Theologis Carnalibus B. Mullerus adscribit, *in libr. quem inscripsit geistliche Erquickstunden* *Centur. II. praefat. Erquickst. XI. p. 31. XXVII. p. 83. XLVII. p. 151. LIV. p. 171. LXXXII. p. 257. in praefat. it. Centur. III. Quod etiam faciunt Philippus Jacobus Spenerus D. quondam Pastor Mævo-Francofurt & Ministerii Senior jam primarius Theol. Saxon. in pia desiderii p. 23. & 139. ejusdem Theosophia quaest. 8. p. 375. It. In dem Gebrauch und Mißbrauch der Klagen über das verdorbene Christenthum* *Cap. II. S. 5. B. D. Johann. Ludov. Hartmannus Superintend. Rottenburg. in impedimentis*

mentis & Adjumentis veri Christianismi p. 793. M. Valentinus Fromm olim Sa-
perintendens Neo-Brandenburg. in Speculo Christianismi p. 610. B. Großge-
bauer Wächter Stimmen Cap. VI. p. 90. 91. 92. 93. seqq. Georgius Grabow Re-
ctor Gymnasii Mæno-Francosure. in parænesibus p. 380. M. Christianus Scrib.
In Seelen-Schatz p. 1681. §. 6. & in appendice P. IV. p. 24. & cum his innume-
meri alii, quos perspicaces Spiritus gratiæ reddidit, hoc ipsum etiamnum ad-
vertunt.

§. III. Consultum proinde, utile, imò necessarium judicaverim, can-
dide monstrare, quã viã deceat incedere eum, qui operam Theologiæ non
tantum non vult impendere frustraneam, & nocentissimam suæ aliarumque
innumerarum animarum pestem evitare cupit, sed & à tenebris ad lucem,
à Diabolo ad Christum, à peccato ad justitiam, à carnis pravitate ad perfe-
ctionem Spiritus, à mundi unitate ad solidam regni Christi gloriam, adeoque
à maximo malo ad summum bonum, à nihilo ad illum, & ejus fruitionem,
qui solus revera est, fuit & futurus erit, converti ipse & alios manuducere an-
helat. Cum autem hoc adèd arduum, pergrave atque difficillimum sit o-
pus, quod non nisi succurrente divina gratia perfici potest, propriæ meæ infir-
mitatis memor, *Deum omnis boni Autorem supplex veneror ut Spiritus sui
gratia me & legentes in omnem veritatem ducat?*

§. IV. Ideam E. Studiosi Theologiæ genuinam bono cum Deo re-
presentaturus, quædam prærequisita tangam necesse est, antequam, quæ
ipsorum requisitorum recta sit ratio, poterit exponi. Lingvarum studium ne-
cessarium est, & earum præsertim, quibus Spiritus Sanctus hominibus locutus
est. Alioquin nunquam hæretico, & adversario alicui os obturare potes: cum
nulla Bibliorum versio utrinque sit recepta. Adeoque hoc studium adeo neces-
sarium est futuro Theologo, ut absque eo tanquam hospes in regione ignotâ
versetur, Biblia tractaturus. *Verba, inquit Balthasar Meisnerus, nihil aliud
sunt quam vagina, in qua gladius Spiritus Sancti repositus servatur; Si uti eo-
dem cupimus, necesse est, ut illum è vagina extrahamus. Sunt verba, & vo-
cantur vulgò signa rerum, notæq; conceptuum: Si res assequi & intelligere ave-
mus, ante omnia genuinam verborum vim & valorem, adeoque aliqualem lin-
gvarum comparare nobis debemus notitiam.* Quamobrem, ne Theologiæ
Studiosus versionibus facile fallentibus adhærere, atque alienis oculis viden-
do, & auribus alienis audiendo, pro corpore umbram, pro fontibus rivulos
sectari cum Plebeis & Idiotis cogatur, sed ipsemet ex Spiritus S. sermone, de
Spiritus sensu animum habeat indubium, solidam lingvarum & imprimis ea-
rum, quibus libri Canonici primitus, Spiritu S. dictitante & inspirante sunt exa-
rati, habeat scientiam. Nunquam quis rectius alterius assequitur mentem, &

nam sententiam, quam qui ipsas loquentis voces, & propriam sermonem audit, atque intelligit. Habet nempe quælibet lingua selecta quædam & peculiaris vocabula; habet suos idiotismos: habet metaphoras, Allegorias, & id genus tropos, quos in peregrinam linguam nullus interpres, etiam fidelissimus & solertissimus pari cum gratiâ potest reddere. Ac nescio quæ sit, nunquam sic satisfacit afficitque oratio vel elaboratissima interpretis, ut simplex sermo primi Autoris. Sed & quoties amphibolia vel quacunque ratione obscura in Bibliis Latinis, sive peregrina lingua redditis, occurrit sententia: Hic te protinus cogit necessitas, diversa exemplaria ac diversos interpretes in consilium adhibere. At si & hi, quod sæpe numero solent, ipsi dissentiant, nihil aliud, quam novos scrupulos tibi injiciunt, & incertiore te reddunt, quam ante fueras, ut scite disserit *Andr. Hyperius*, in libr. de Theologo. p. m. 66. 67.

§. V. Veteris igitur Testamenti libri cum omnes atque integri linguâ Hebræa, (exceptis paucis quibusdam in Daniele, Esdra &c. Chaldaico idiomate exaratis,) scripti sint, & verò illa nobis non amplius ut olim Israëlitis sit vernacula, ipsa necessitas efflagitat, ut illi, qui accuratam Scripturæ Prophetiæ cognitionem desiderant, linguam Hebraicam addiscant, & sic fontes ipsos V. T. adeant, proprietates, & emphases vocum investigent, doctrinas, sapius in una vocula latentes, perquirant, & sic textum solidius explicare, & pressius adversarios refutare possint. *Novi, inquit Lutherus, quantum opere mihi contra hostes meos profuerit lingua Hebræa notitia.* Certe pergit, *quamvis exigua illa sit, cum omnibus tamen totius mundi Gazis eam non commutarem idem: Num quid hoc te movet, quod Sanctissimi Patres in explicandis Scripturis adeo frequenter impegerunt? Et licet subinde aliquid resti dixerint, incerti tamen fuerunt, an videlicet in originali ita esset, uti illi interpretabantur Et.* Melancthon ait: *Orat. Tom. IV. p. 465. Reverendus Vir Lutherus, quam graviter nos ad linguarum studia sæpe hortatus est, Et negligentiam Studioforum castigavit: videbat enim non aliam ad veterem barbariem reducendam, magis compendiarum esse viam, quam si studia linguarum, imprimis Hebrææ interirent.* Recte etiam Menzerus: *Hebraismorum ignorantia horrendos errores in Ecclesiam Dei invexit.* Quam maxime autem commendandum venit linguæ Hebrææ studium, ob intelligendam sententiam quorundam textuum N. T., in eo enim multi occurrunt Hebraismi, i. e. termini Hebraici, unde etiam dicitur: *N. T. in multis hebraizat.* Deinde etiam propter Thalmudicum Judæorum opus, propter Rabbiorum Judæorum scripta, in quibus nonnulla latent utilia: ad intelligendam Scripturam & Judæorum refutationem, ad faciliorem denique Judæorum conversionem. Ne dicam, quod lingua hæc sit sanctissima, antiquissima, purissima,

gra-

gravissima, & magno semper abs omnibus omni tempore in pretio habita. De ratione genuina studii Hebræi feliciter inchoandi & persequendi agere, cum à scopo nostro videatur alienum, & brevitati cum maximè studendum sit, hinc B. L. ablegasse me sufficiat, *ad præfat. Excell. Domini Wasmuthij* Hæbraismo facilitati, & integritati suæ restituto, præmissam; utpote in qua quàm-accuratissime genuinam plenæ & methodicæ Grammaticæ Hebrææ rationem, indeque universum studium Hebræum à primis elementis (proprio etiam Marte) feliciter deducendum monstravit, ne ullis amplius difficultatum involucris implicetur, aut absterreatur studiosa juvenus. It. *ad Pfeifferi Criticam Sacram. Gerhard. Stud. Theolog. methodum p. 11. Cap. II.*

§. VI. Non minus etiam à Studio Theologiæ acquirenda est cognitio *lingvæ Græcæ*. Novi n. T. libri lingvæ Græcæ ab Evangelistis, & Apostolis exarati sunt, utpote quæ sola est authentica, & tunc temporis gentibus omnibus, ad quas Apostoli cum prædicatione Evangelica ablegabantur, erat communissima, Augustin. Lib. IIX. de C. D. Cap. II. inquit: *Lingvæ Græcæ inter ceteras gentium clarior habetur*. Epist. 200. *Hæc lingvæ maximè excellit in gentibus*. Cic. in Orat. pro Arch. *Græcæ leguntur in omnibus fere gentibus*. Notitia literaturæ Græcæ destitutus intelligere nequit versionem LXX. interpretum, aliorumque, ut Aquilæ Theodotionis, nec scripta Patrum Græcorum, Basilij, Nazianzeni, Justinii, Clementis, Epiphani, Chrysostomi, Isidori, Pelusiotæ, Damasceni &c. Adminiculis, quibus hæc perdisci lingvæ potest ostendendis, hic brevitati studentes superfedemus, cum ea alibi tradita sciamus.

§. VII. Deniq; cum Romani una cum suo imperio lingvæ Romanæ usum provinciis à se debellatis invexerint, in qua non solum olim quamplurimi Ecclesiæ occidentalis Doctores, sed etiam hodie pleriq; recentiores Commentarios ac libros suos scripserunt, ideo nec ejus cognitione Theologus carere potest, præsertim, cum in Scholis eruditis eâ ferme solâ in lectionibus & disputationibus utamur. Si quis autem ad majorem perfectionem aspirat, is hisce tribus lingvis Theologo accurato perquam necessariis, adjungere potest lingvæ: (1) Chaldaicam propter Danielem & Esdræ, propter paraphrases Chaldaicas, propter scripta Rabbiorum, & tandem propter multas radices in Scriptura occurrentes. (2) Syriacam, tum propter versionem N. T. tum propter vocabula Syriaca subinde occurrentia. (3) Arabicam propter Alcoranum Turcicum, & expeditiorem cum Turcis conversationem. &c.

§. VIII. Non solum autem *Philologiæ*, sed & *Philosophiæ* à Studio Theologo requiritur studium, id quod prolixissimè & solidissime demonstratum dedit *Balthasar Meisnerus S. S. Theol. D. Præcognit. Theol. Diss. II. §. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* ubi triplicem, eumque salutarem Philosophiæ in Theologia usum

egregiè satis monstravit, & Johann. Gerhard. in *Method. Studii Theolog. Sect. II. Cap. I. p. m. 93.* nempe ὀργάνικόν, καὶ ἱστορικόν, & ἀνασκευαστικόν *Conf. etiam* Friderici Balduini *D. & Prof. Theolog. Ideam dispos. Bibl. p. m. 82.* ubi ita scribit: Ad veram textus intelligentiam pertinet inter alia cognitio artium liberalium, ut Physices, Mathefeos & similibum, sine quibus multa dextrè explicari non possunt. Quia de re Augustin. *Lib. 2. de doct. Christ. Cap. 16. Rerum ignorantia facit obscuras figuras, locutiones, cum ignoramus vel animalium vel lapidum, vel herbarum naturas aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur.* Nam & de serpente, quod notum est, totum corpus eum pro capite objicere ferientibus, quam egregiè illustrat sensum illum, quo Dominus nos jubet astutos esse, sicut serpentes &c.

S. IX. Philosophiæ cognitio, Theologo suppeditat terminorum plurimorum explicationem. Utitur enim Theologia duplici terminorum genere, quidam enim Biblici, quidam verò Ecclesiastici audiunt. In utroque genere nonnulli occurrunt, ad quorum accuratiorem explicationem Philosophia aliquid confert. Sic *Ens bonum, verum, perfectum, infinitum, finitum, persona, existentia, essentia, actus potentia* &c. sunt termini Metaphysici, ideo etiam ad illorum explicationem aliquid conferre potest cognitio Metaphysices. *Tempus, locus, cælum, terra, mare, ignis, nix, grando, pluvia, facultates animæ* sunt termini Physici, ideo ex Physicis illorum explicationem petit Theologus. De profectioibus *Patriarcharum, Israelitarum in deserto, Apostolorum* &c. sine aliqua Geographiæ cognitione, de cursu stellarum, de *Orione, de Plejadibus* sine Astronomiæ cognitione, differere nequit Theologus: De virtutibus, *Temperantia, Libertate, Fortitudine* &c. De rebus Politicis, *Magistratu, subditis, legibus, suppliciis*, de rebus æconomicis, *marito, liberis, servis* &c. disserturo, practicæ Philosophiæ cognitio adjumentum aliquod præstat. Disciplinarum quoque instrumentalium & quidem *Logicæ* usus non minimus est, in tradendis definitionis, divisionis & methodi legibus, ut distinctè & ordinatè Theologus proponere, quæstiones controversas dilucidius exponere, evidentius easdem conformare, & pressius adversarios refutare possit, quod prolixè atq; accuratissimè deduxit *B. Calov. in Isagoge ad Theolog. p. 94. 95. 96. it. Gerhardus in metodo studii Theologici p. 98. 99. 100. &c.* Rhetorica etiam perquam utilis & necessaria est, utpote ex cujus præceptis addisci potest eloquentiæ, in concionibus habendis, perquam fructuosus modus, unà cum troporum & figurarum, ut sunt *Synecdoche, Metaphora, Enallage, Ellipsis, Pleonasmus* &c. explicationibus quorum in sacris literis & Patribus rectè intelligendis usus est longe maximus. *D. Meisnerus in præcognit. Theolog. Disp. II. S. 6. 7. 8. 9. 10.* Accedit hoc, quod Philosophia genu-

genuinos sui cultores sapientiores reddat, atque prudentiores, atque adeo ad naturalem animæ felicitatem, atque aliquam moralem perfectionem adducat. Hic verus Philosophiæ finis, & Scholasticæ disciplinæ fructus salubris est. Philosophia nativam mentis nostræ discutiit ignorantiam, & pristinam rerum naturalium scientiam restituit. Philosophia aufert ἀκαταξίαν appetitus, & ἐυκαταξίαν affert, illam beneficio Philosophiæ contemplatiuæ, hanc bonitate activæ acquirere possumus. Hunc finem atque fructum cum quam-paucissimi intendant, nedum persequantur, à veri contemplatione & virtuosa actione quàm longissime remoti, in tricis hærent. Plurimi, ut nunc est comparatum, Philosophia magis corrumpuntur, quam corriguntur, & non tam perficiuntur, quàm pervertuntur. Ex quibus intelligi potest, non falsum esse ratione multorum, tritum illud sermone proverbium: *Gelehrte sind Verkehrte*. Ille autem morbus Epidemicus si tollatur, sola verborum indagatio, & terminorum scientia non sufficit. Hæc enim neminem sapienterem, neminem prudenterem facit. Neque præcepta scientiarum, quod pervulgatum, soli memoriæ mandanda. Quid enim juvat scire definitiones, & non intelligere definita? Quid prodest memoria plena, si intellectus vacuus? Quid verba sine sensu, quid sensus sine perspicuitate valet? Quid habemus utilitatis à definitione virtutis, scientiæ, sapientiæ, nisi perficiamur ipsa virtute, aut instruamur ad felicitatem hujus vitæ, scientiâ & sapientiâ. Neque denique solâ cognitione agibilibus contenti simus, sed studendum maximopere, ut scientiam prudentiâ, & prudentiam consentaneæ rectæ rationi actiones subsequantur. Etenim, ut ait Tullius; *Cognitio & contemplatio natura manca quoddammodo atque inchoata est, si nulla actio rerum consequatur Lib. I. Offic. p. 16.*

§. X. Hoc unum præ ceteris omnibus observandum. Nihil nempe in Philosophia pro vero habendum est prius, quàm veritatem ejus certè & clarè intellexerimus; Et quæ intellexerimus, praxin desiderare nostram, sciendum. Intelligimus autem omnia rectè, cum res in se, & sua naturâ sine ullis erroribus intelligimus: *perspicuè*, cum menti ita plane & apertè propositas habemus, virtute abstractionis, & conceptus, ut coràm spectari videamus, *distinctè*, cum per se scimus, certè cum nihil sine ratione opinamur, sed firmis, aut & eruditis argumentis nituntur, plenè & perfectè, cum omnia quæ invenimus, secundum essentiam, proprietates & operationes intelligimus. *Praxis* subsequitur, cura ad Dei gloriam, & nostram proximique salutem applicamus omnia. Hæc viâ, qui constanter incesserit, sapientiæ & perfectionis naturalis & moralis *μετρίων* inveniet, & imperfectione ejus in gratiæ luce visâ, supernaturalem

&c

& spiritualem in Christo anhelabit sapientiam & perfectionem, ad quam etiam virtute Spiritus Sancti, nisi malitiosè resistit, certissimè pertinet. Multiplex verò idemque pestilentissimus Philosophiæ in Theologia abusus est cavendus. De quo conf. *Excell. D. Gerhard. Method. Stud. Theolog. propæd. Sect. II. Cap. II. p. 708.*

§. XI. Cum verò & Historiæ, cum Politicæ, tum Ecclesiasticæ studium suo singulari in Theologia polleat usu, non possum, quin & hoc inter prærequisita Studiosi Theolog. ponam, quæ ab ipso prælibanda, ut eo fructuosius in studio Theologico versari possit. Quis nescit illa multum ad historiæ Sacræ explicationem facere? Quem latet, testari sæpe de Ecclesiæ conservatione, contra hæresum, & persecutionum oppugnationes? Quis non in ea exempla vitiorum ac virtutum, præmiorum, ac pœnarum reperit, adeo ut Nazianzenus illam meritò *συμφορητικὴ* Philosophiam vocitaverit. Quam-maxime autem Theologiæ candidatū impellit à Sp. Sancto ordinata, & Ecclesiæ quam maxime necessaria gubernatio prudens atque sedula. Liqvet sane ex Rom. XII. v. 7. 1. Cor. XII. v. 10. Eph. IV. v. 11. uti Prophetiam sive facultatem interpretandi Scripturas, sic gubernationem tanquam duo dona excellentissima ex æquo commendari. Quin & sic esse ad Ecclesiarum ædificationem pernecessaria, ut, sicut alterum altero semper eget, ita neutro carere Ecclesia ulla possit. Siquidem Ecclesiarum salus ac dignitas tota, ex his duobus donis pendet: Quando absurdum non est sterilem omnino esse Prophetiam, si provida absit gubernatio, sicuti fieri non potest, quin vacillet gubernatio, quæ Prophetiæ fulcris non sustentatur. Cum autem gubernationis prudentiam non nisi ex historiis, in quibus omnes omnium temporum Ecclesiæ gubernatæ exhibentur, acquirere queas, non minima sane exigit necessitas, ut à te, qui vel ad ministerium Ecclesiæ te paras, aut generatim Theologorum albo inscribi desideras, studiose iis in libris legendo percurrantur, in quibus *πράξεις* Ecclesiarum, *canones, responsa, consilia* sive quæcunque recte dicta, facta ordinata insignium Theologorum fideliter commemorata sunt. Hæc prudentia cum plurimos ad Eccles. provectos functionem destituat, contigit, proh dolor! ut ita officio suo satisfaciant, ut Concionatores, nullo vero jure Pastores, Oeconomi, Patres & directores Ecclesiæ audiant. Duo autem *ἐπιφειλοῦντα* veniunt observanda: unum est, ne ulli in evolvendis Historiis operæ parcat. Alterum, ut caute & probe earum Autores dignoscere sciat. Scriptores enim sunt vel veteres, vel recentiores. Veterum omnium nomina hic allegare, supervacaneum brevitati studens, duco, cum nullibi non allegati reperiantur (inter alia poterunt consuli *B. Bossi Schediasma de comparanda notitiâ Scriptorum Eccles.*)

sum.

summam ac præcipua capita complectuntur *Centuria Magdeburgenses tredecim.* à Flacio, Wigando, Matthæo Judice, Basilio Fabro &c. collectæ (opus fuit XV. virorum. Decem continuo collegerunt, quinque erant revisores, qui omnia in compendiosum ordinem redegerunt, ut quilibet intelligat, Opus factis laudatum esse, sed dolendum est, quod opus sit imperfectum. Non enim est absolutum, sed vix attigerunt seculum X, cum manifestavit se quam maxime Antichristus Romanus. Instaurato enim bello Germanico, etiam Scriptores cessare coacti sunt.) Ex quibus Epitomen collegit, & quæ adhuc desiderabantur, Centurias addidit, *Lucas Osiander*, inter quas lectione digna est centuria XVI, quæ proximi seculi historiam etiam copiosè & perspicuè exponit. Inter recentiores, commendatos sibi habeat Theologiæ cultor, *Myrelii Synagma*, *Gymnas. Gothani compendium Historia Eccles.*, *Friderici Hildebrandi Synopsis histor. universal.* ad annum usque 1685. continuatam, *Petarvii Rationarium* temporum. Historias profanas Eccles. adungere, non plane alienum erit ab eo, qui Theolog. vivit occupatus studio, cum ad solidam quarundam historiarum Sacrarum interpretationem præsertim ad Danielis vaticinia rectè applicanda, aliquid conferre possint.

s. XII. Sed quid moror in prærequisitis? Quem enim hæc latere possunt, cum Autores in iis describendis sint satis multi & accurati, quorum inter Celebert. *D. Calovius in Isagoge ad Theologiam*; quare potius ad requisita ipsa me accingo. In horum numero primum omni jure sibi vendicat locum *ἐκκαμψις Spiritus sancti*, atque ea quidem non *immediata*, (quæ cum Quakeris & Enthusiastis sine lummo animæ periculo expectari nequit, siquidem nullibi promissa inveniatur) sed *mediata*, adminiculis verbi & Sacramentorum divinis, à Spiritu S., Patre illo luminum, profecta. Ut itaque veram, genuinam & salutarem Theologiam discamus, & percipiamus, in primis opus est Doctore Spiritu S., qui unice docet veram Theologiam. Tum *exterius*, per verbum scriptum, lectum, prædicatum, & fideles Ecclesiæ ministros, Doctores, Præceptores, Doctrinam de Deo assiduè inculcando, atque ita hominis mentem in vera pietate informando, quomodo Paulus ait se loqui Auditoribus ea quæ Dei sunt, & donata nobis à Deo, non verbis humanæ Sapientiæ, sed verbis, quæ docet ipse Spiritus S. *1. Cor. II, v. 13.* ideoque prædicationem suam esse in ostensione Spiritus ibid. *v. 4.* unde *Corinthii in omnè doctrina & cognitione divites facti sunt* Cap. I. 5. Tum *interius*, per illud verbum externum illuminando mentem luce fidei & sapientiæ spiritualis. *Solus enim Dei Spiritus novit ea, quæ sunt Dei, & divinas profunditates* ibid. *v. 20. 11.* Solus ergò ille docere interius potest Theologiam, hoc est mentem hominis ita illuminare per verbum, ut ejus mysteria intelligere queat.

B

Uctio
docet

docet omnia ait *Johannes 1. Epist. II, 20. 27.* Exterius enim Spiritus S. doctrinam tantum audire, & discere, nondum sufficit ad cognitionem veræ Theologiæ. Mens enim hominis non percipit lucem verbi divini, nisi Spiritus Sanctus congenitam cœcitatē removeat, & interius in ea novam lucem spiritualem sapientiæ accendat, tenebræ humanæ non apprehendunt lucem undiqve inter eas lucentem, nisi Christus hominem illuminet interius *Job. 1, 5. 2. Cor. IV, 6. 1. Cor. II, 10. Job. XIV. 26. Cap. XVI, 13. Es. LIV, 13. Job. VI, 45. Eph. IV, 21. Syr. XXXIV, 12. 14.*

§. XIII. Quare illi, qui Doctore vero & unico Theologiæ destituuntur, potius Philosophiæ de rebus sacris Magistri, quam Theologiæ Doctores audiunt, neq; cognitio eorum, quam ex Sacris literis de Deo haufere, veræ Dei notitiæ nomen meretur, *cum naturalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei.* Homo autem naturalis est, qui non alia, quam naturali luce præditus est, qui Spiritum Dei non habet. Ita enim vocabulum *ψυχικός* in Epist. Judæ explicatur, id quod patet ex ipsa *ἀνθρώποις*, quæ *ψυχικός* spirituali opponitur, hic non potest percipere nec intelligere, quæ sunt Spiritus Dei, quod Spiritus Sancti revelationi debentur, quæ ideo auris non audivit, quia solis credentibus sunt manifestata. Verba quidem audit, & intelligit, sed spiritualem sensum non assequitur, spiritualiter enim dijudicantur, i. e. non possunt cognosci, nisi ab iis, qui Spiritum Sanctum habent, & novo Spiritus afflatu sunt præditi. Hic quam maximè audiri meretur *Theologus Clariss. D. Höpffnerus LL. Theol. III. p. 73. Duplex, inquit, est claritas Spiritus, sicut & duplex obscuritas. Una externa, in verbi ministerio posita, altera in cordis agnitione sita. Si de interna claritate dixeris, neque etiam homo unum jota in Scripturis videt, nisi qui Spiritum Dei habet. Omnes habent obscuratum cor, ita ut si etiam dicant & norint proferre omnia Scripturæ dicta, nihil tamen horum sentiant, aut vere cognoscant. Neque credunt Deum, nec sese esse creaturas Dei, nec quicquam aliud juxta Ps. XIV. Dixit insipiens in corde suo, Deus nihil est. Nec non primarius quondam & Excell. Lips. Theologus D. Adam Scherzerus Collegio Anti-Sociniano, cum inquit: Sine speciali Spiritus Sancti illuminatione, Scripturæ salutari ter, & cum fructu, ut plenum verbo sensum præbeamus, & fidem salvificam concipiamus, legi non potest. Hujus veritatem demonstratam damus porro verbis Salvatoris nostri omnium veracissimi Job. IIX, 19. Cap. XV, 21. Cap. XVI, 3. C. XVII, 25. quibus Phariseos, Scribas, & Sacerdotes, qui ex professo erant legis Doctores & Scripturarum Magistri, cœcos pronunciat, utpote qui non tantum Filii, sed etiam Patris, salutari cognitione careant. Nec non dilectissimi Jesu discipuli Johannis I. Joh. II, 4. Cap. III, 6. & c. IV, 7. 8. Ex qui-*

quibus dictis à Clariss. Theolog. Rostoch. Eilb. Lubino deducta porismata omni-
 no adscribi merentur: *Ubi salutaris fides non est, ibi nulla est vera Dei agnitio,
 sed tantum mortuum ejus simulacrum. Quicumque Deum verè & salutariter
 novit, ille non potest non Deum amare. Ut nemo lumen videre potest, quin
 illuminetur, ita nemo potest Deum verè, & salutariter nosse, quin eum amet &
 ejus opera.* Vera & salutaris Dei notitia est efficax, ut nos reformet, ut simus
 novæ creaturæ, & Deo conformes. Vera & salutaris Dei notitia, vel fides
 non potest à charitate separari. Impossibile est, ut quis Deum, h. e. sum-
 mum bonum, vere noscat & illud non amet, Deum nosse & amare, & quæ
 Deus amat, seungi nequeunt. Quocirca ad salutarem, adeoque ad veram
 Dei divinorumque cognitionem illuminantem Spiritus Sancti requiri gratiam,
 quis illuminatorum non videt? Quod iterum os veritatis satis diserte signifi-
 cat Matt. XI, 25. Loqui autem Salvatorem de interna & salutari agnitione,
 luculentissime ostendit *Lutherus Tom. III. Altenb. f. 682. b. Tom. I. Altenb. f.
 92. & Celeberr. Chemnit. Theolog. D. Harmonia Evangel. Cap. XCVI. p. 567.
 it. 571. it. B. Arnd wahre Christenthum Lib. III. c. 15. & satis clare amor noster
 elocutus est Job. XIV, 21. super quem locum omnino verb. Job. Arndii Postill.
 Evangel. p. 1517. & Christ. ver. Lib. II. c. XX. p. 157. & Lib. II. p. 24. p. 183. it. c. 27.
 Lib. II. & Lib. III. c. 15. D. Job. Gerhard. Harmon. Evangel. c. 176. p. 1330. seq.
 D. Heinrich Müller Liebesfuß Cap. VII. p. 95. nec obscure hoc sapientissimus
 Dei Filius indicat Joh. VI, 44. 45. ex quo loco antiquus ille Theologus
 Rostoch. Simon Pauli method. doctr. P. I. p. 1. ita concludit: *Cum fons lucis
 & vere sapientiæ Deus sit, ante omnia in Studio Theologiæ requiritur pietas,
 quæ humane naturæ imbecillitatem agnoscens, & juxta voluntatem ac ver-
 bum Dei consilia, & actiones gubernans, petit se divinitus erudiri.* Nam de
 Theologiæ Studiofis apud Prophetam *Esaiam Cap. LIV. v. 13.* scribitur: *Erunt
 omnes docti à Deo.* Quare doctrinæ cœlestis Studiosus ardentè petat à Deo,
 ut per Spiritum Sanctum lucem veræ doctrinæ in sua mente accendat, cere-
 brum, cor, manus, linguam, cogitationem, scriptionem, lectionem, gubernet,
 & discendi labores clementer fortunet, & adjuvet, ut ipsi Deo sint grati, &
 salutare. In quem locum præ ceteris etiam audiendus *Megalander noster
 Lutherus Tom. IV. Wittenb. Lat. f. 287.* Ideo dicit, à Deo doctus, *quia doctrina
 Christianorum talis est, quam ratio non solum non potest invenire, sed in-
 ventam & traditam quoque non potest intelligere. Et quod majus est, necessa-
 rio cogitur eam odisse & damnare. Et postea: Quia igitur ratio offenditur
 Evangelio, impossibile est, Christianum humanitus edoctum esse, & qui adhe-
 rent verbo, faciunt id non propriis viribus, sed dono Dei, quod divinitus sunt
 edocti.* Sicuti autem unice æternumque amandus JESUS, non sine vi & effi-*

cacia divina, in citatis locis, Theologiae Studiosis necessariam Sp. Sancti illuminationem monstravit; sic non minus hoc Pualus, & Johannes, dilectissimi ipsius Apostoli, fecere Paulus: *Eph. IV, 17. 18.* super quem egregium locum *Vid. D. Mullerum in ante citat. Liebestuß Cap. IX. p. 125. & C. VII. p. 94. nec non virum devotiss. M. Christian. Scriber in Seelen-Schak p. III. con. 4. Johannes: i. Epist. II. 27.* Super quem locum *vid. D. Mulleri Liebestuß Cap. VII. p. 94. C. IX. p. 127. & Gerhardus in Exegesi Loc. de Scriptura S. p. 468. Method. Stud. Theolog. P. I. c. 6. p. 21. F. C. f. 233. it. p. 267. Explicat. Artic. III. Arnd. in Ps. XCIV. f. 783. Ver. Christ. L. I. c. 36. D. Joach. Lütkehan in Vorsehmaß & S. L. 2. 19. p. 725. 777. Pauli Egardi Christenthum in David. Ps. CXIX. 98. 99. & in formatorio Christi p. 19. 23. 27. 198. D. Job. Gerhard. Schola pietat. L. III. c. 4. p. 47. & c. Hic conferri possunt Sap. VII. 27. Job. XIV, 27. Rom. IIX, 16. Apoc. II, 17. 2. Petr. I, 4. & videri Theologi accuratissimi, Dannhaweri Hodoloph. proœm. p. 10. it. D. Calov. Isagoge in Theologiam p. 275. 278. 280. D. Hasenreffer LL. Theolog. p. 2. 4. 5. & Grabovii Rectoris Francosuri. ad Mœn. Parænes. Cap. III. p. 114. 115. Cap. IX. p. 362. 368. 386. 391. 418. Felices proinde æternum illi, qui Theologiam in Spiritu Sancto incipiunt, per Spiritum Sanctum proficiunt, & cum Spiritu Sancto ad gloriam Dei perficiunt. Felices, quorum Theologia magis experientia, quam scientia est; Felices, qui rerum divinarum spiritualem notitiam habent. Hujus autem princeps causa Spiritus S. est: Hoc Duce spiritualia spiritualiter cognoscimus, hic hominem spirituales facit.*

S. XIV. Hac spirituali notitia qui non sunt à Spiritu Sancto donati, illi non tantum non sibi ipsis verum Theologiae finem attingent, sed sapientia divina destituti, ingentem Ecclesiae afferent jacturam. Ad salutem namque, fide in Christo Jesu, non erudiuntur (utpote quod Spiritui Sancti solum proprium.) Magna emphasi pollent verba Theologorum Jensonium, in Præfat. *M. Nicolai Rebhans* meritiss. olim General. Superintend. Concionator. præmissa. *Sparta concionandi, homines per verbum prædicatum in Christo lucrandi, & illaqueatos Diabolo extorquendi, peculiarem, & quidem ipsius Spiritus S. Supremi ministerii Præsidis potentissimam & presentissimam gratiam requirit. Frustra quippe est vox dicentis extra, nisi sit, qui doceat intra. Aures ferit sonus concionantis, corda movet & mutat illapsus Spiritus operantis. Cum quo conferri potest D. Joach. Lutkem. in der Apostol. Aufsumunt. Dom. X. post. Trinit. it. D. Henrici Müllers in Gest. Post. p. 255. & in der Evangel. Schluß. Rette Dom. Quasimodo geniti.* Si in specie concionatoris partes exequenda examinantur, quis affirmaret, recte à non edocto à Spiritu Sacto institui doctrinam, recte redargutionem, recte correctionem, recte

rectè consolationes, rectè orationem, rectè denique vitam; cum hæc nulli nisi homini Dei conveniant per illustre illud Pauli dictum 2. Tim. III, 15. 16. 17. *ἡ ὡς δὲ δακρυοποιεῖ* &c. ut nil dicam (cum lacrymas potius & fletum mereantur effusiss. quàm sermonem prolixum) de damno incomparabili à cæco, & non converso concionatore in omnia Ecclesiæ membra, imò extraneos etiam redundanti. Eruditio, non nisi propriarum naturalium virium adminiculo impetrata, quid ad astutiam Dei hujus mundi? num quid & illi superandæ par esse poterit? Quare facilè permittit Diabolus, arcano tamen & callido consilio, ut Studiosi lingvas exerceant, ingeniique bonitate liberalibus artibus proficiant. Edoctus enim longà & magna experienciâ novit, quot, quæ generis studia, regno Christi nulli emolumento, sua autem nulli detrimento sint, quamdiu vis supernaturalis & divina, hoc est, Spiritus Sancti gratia operans non accedit. Certè homo spiritualiter cæcus, licet cætera eruditissimus, per cœcam commendationem ad Presbyterium vocatus, quoad omnia, officio suo non rectè defungitur. Quare, si absurda res est (est autem) ovibus lupum, anseribus vulpem, & virgultis caprum præficere, quanto magis absurdum erit (ne dicam, periculosum aut perniciosum) fidelibus infidelem, regnitis irrogenitum, filiis Dei mancipium Diaboli, vigilantibus dormientem, Dominis servum, viatoribus seductorem & vivis mortuum præficere. Hic quam maxime consuli meretur *D. Job. Mattheus Meyfart. in disciplin. Academ. p. 349.* Et hæc aliquanto prolixius de primo scripta sunt requisito, cujus hic maximè habenda ratio; Spiritu Sancto enim non illuminante, nil ad divinam sapientiam valebit Studiosi labor. Flaminis vero Sacri præsentæ gratiâ, conamina Theologi ad Theosophiam perducent cœlestem. Hic legi instar omnium potest *Speneri Theosophia.*

§. XV. Cum autem nulli hodie hæc concedatur gratia, nisi qui ordini divino se subjicit, & mediorem rectum non negligit usum, è re omnium Studioforum dixerim fore, si paucis & mediis, quibus omnes ad divinæ sapientiæ fastigium evchimus, delineem. Sunt autem tria, ut B. Lutherus ait, quæ bonum efficiunt Theologum: *Oratio, Meditatio, Tentatio.* Primum itaque medium est *Oratio* serâ *Conf. Luc. VI, 1. c. XI, 13. Cap. XXIV, 45. Eph. I, 16. 17. 18. Cap. III, 18. 19. Phil. I, 9. Col. I, 9. de hac B. Luth. in præfat. Tom. I. Oper. Jen. Germ. ex Pf. CXIX. ita monet: Scias Scripturam Sacram esse talem librum, qui reliquorum omnium sapientiam infatuet, ideo de tui ingenii acumine, in percipiendâ hujus libri sapientia, penitus desperes, flexis vero genibus in verâ humilitate Deum preceris, ut per, & propter Filium suum dilectum det tibi Spiritum Sanctum, quæ te illuminet, & sanam Scripturæ intelligentiam patefaciat.* Orationem comitetur *Meditatio*, docet namque Spiritus S. non

immediate, sed mediante verbo nobis revelato, quod est $\lambda\upsilon\chi\nu\textcircled{\circ}$ $\Phi\acute{\alpha}\nu\omega\nu$, $\epsilon\sigma$
ἀνχμηρῶ πῖπῳ, ᾧ καλῶς πιῖμεν προσέχοντες, ἕως ἔ ἡμέρα ἀλαυράση τῆ
Φωσφῶρ $\textcircled{\circ}$ $\acute{\alpha}\nu\alpha\lambda\acute{\epsilon}\lambda\eta$ $\epsilon\iota$ $\tau\acute{\alpha}\iota$ $\kappa\alpha\rho\delta\acute{\alpha}\iota$ ς $\eta\mu\acute{\alpha}\nu$. Verbum divinum in sese
 continet radios divinæ lucis & sapientiæ, quod ad mentem hominis illuminan-
 dam emittit, hos ergo sectari, & avidis oculis recipere, necesse est eum, qui
 veram Theologiam discere velit, ideo Paulus Timotheum jubet *προσέχειν τῆ*
ἀναγνώσει. Tim. IV, 13. 14. 15. 16. & Christus Judæos vitam æternam qua-
 rentes, jubet scrutari Scripturas Joh. V, 39. Laudantur hinc Berrhoenses quo-
 tidie Scripturam inquirentes, ut viam salutis inde discant, *Lutherus loc. cit.*
Deinde mediteris i. e. Scripturam Sacram summo studio evolvas, & interius
in corde mediteris, nec per versam illam opinionem inducas, quasi sufficiat semel,
his, terve legere. Quare illi, qui verbum vel negligunt, vel, quod pejus est, con-
 temnunt, ad salutem non erudiuntur. Quemadmodum enim ex Judæis nemo
 servabatur, qui Christum, verbum illud substantiale & personale, vel negligere-
 ret, vel prorsus contemneret: Ita quoque jam non conservantur, non conver-
 tuntur, non justificantur, non renovantur, qui verbum Dei efficacissimum
 illud remedium vel negligunt, vel eludunt, vel certe indecenter legunt, audi-
 unt, meditantur. Qui Scripturæ Sacræ meditationem averfantur, illi arca-
 nam, coelestem & divinam sapientiam, stultorum more, averfantur. Deni-
 que accedit *Tentatio*, cujus nomine tria intelliguntur, (1.) Spiritualis sensus &
 experientia (2.) In cruce patientia (3.) In pietatis studio perseverantia. (1.)
 Spiritualis sensus & experientia. *Tentatio*, inquit *Lutherus* l. c. *est instar lydi*
lapidis, & docet non solum scire, sed etiam sentire, & experiri certitudinem, ve-
ritatem, sanctitatem, efficaciam, & consolationem verbi, docet gustare & videre
quam suavis sit Dominus, Pl. XXXIV. 7. Non enim sufficit Deum $\theta\epsilon\omega\rho\eta\lambda\acute{\omega}\varsigma$
 $\kappa\acute{\omega}\varsigma$, quoad justitiam & misericordiam & cætera attributa, scire, sed oportet eti-
 am scire $\pi\rho\sigma\alpha\kappa\lambda\acute{\omega}\varsigma$ $\pi\rho\sigma\epsilon\chi\upsilon\sigma\iota\nu$ quendam illius vitæ per Spiritum Sanctum,
 Hebr. Cap. VI. 4. Hæc $\acute{\alpha}\iota\delta\eta\sigma\iota\varsigma$ verbi meditationem & orationem consequitur
Vid. Bernhardus de modo orandi, & Gerbard. p. 322. Method. Stud. Theolog.
 Hinc accedente tentatione, fidei naturam & vim ineffabilem intelligere quis
 poterit, vivos ejus motus in sese deprehendere, luctam carnis & Spiritus, quas-
 vis piorum tentationes, pacem & tranquillitatem animi in Deo, internum
 Spiritus Sancti testimonium discere, rectè docere, tanquam expertus potest.
 Quare, in hoc exercitio omnino necessarium est, si veram Theologiam imbibe-
 re quis velit. Non tentatus, qualia scit? Vir autem bene exercitatus & in
 multis expertus, potest loqui de sapientia. En! Christus solis vincentibus pro-
 mittit se daturum novum nomen, quod nemo intelligit, nisi qui accipit Apoc.

II. 17. Hoc est novum nomen Filii Dei & hæredis vitæ æternæ, hoc nomen nemo intelligit, quid nempe sit Fides Filii Dei, aut quæ efficacia & gaudium fidei, nisi qui eam à Deo accipit, & consolationem in doloribus expertus est, ait Chytraeus in b. l. (2.) In cruce patientia. Quamvis autem omnibus ferè piis adversa plurima in hoc mundo obtingant, cum primis tamen sinceri Theologi, variis calamitatum telis, propter imitationem Christi, sunt expositi, cum peculiari quadam ratione Diabolum sibi habeant inensum, cujus regno cladem non mediocrem inferunt, & hic Syrac. Cap. II. v. 1. & 2. locum habet, & 2. Cor. IV. 11. 12. 2. Cor. V. 4. Cap. XI. 23. 1. Pet. IV. 12. quibus insignibus & aliis Scripturæ locis, identidem pensitatis, facile res vitæ adversas ferunt, singulare Dei consilium, proprium commodum, singularem in sapientia profectum, divinas promissiones, Christi, Apostolorum & piorum Sanctorum sortem, finem denique exoptatissimum, respicientes fide firmissima. (3.) In pietatis studio perseverantia. Non solum exterius per adversa, sed etiam interius per pravas suggestiones ad peccata tentatur pius Theologus, ita ut Apostolici illius pronuntiati veritatem experiri cogatur 2. Cor. VII, 5. Hæc autem cum prolixissime apud varios Theologos, apud Gerbard. in Method. Stud. Theolog. p. 326. seqq. Hafsenreff. Proleg. Paranes. Loc. Theolog. p. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 18. D. Calov. in Ifagog. in Theolog. inveniantur, ibi poterunt legi. Hic coronidis loco quam maxime adduci meretur, antiquus ille Taulerus (qui ante annos 300. & ultra floruit de quo B. Lutheri judicium Epist. 23. videri potest) quando inquit: Theologia non Theoria, sed vel vivus infernus, vel vivum cœlum est, es muß beydes versucht/ gefühlet und geschmecket werden/ sonst weiß/ noch versteht man nichts davon/ und bleibet Theologia λόγος ἡμεῖς, daß man von göttlichen Dingen viel schwachen kan/ und nicht λόγος ἡμεῖς ἡμῶν daß uns Gott unsere Herzen per verbum rühret/ mortificando, ducendo ad inferos & reducendo.

S. XVI. Sufficiant hæc de primo S. Theologiæ cultoris requisito, de- que mediis illud addiscendi. Sequitur alterum, quod hoc esse censuerim. S. Theologiae studiosus in quacumq; ejus specie sit fundatus, & si Theologiæ summum gradum intendit, exercitatus. Et quidem primo loco ut thesin ex libello quodam synoptico inquirat & adducat quam diligentissime, ejusdemque veritatem, non Theologorum etiam celeberrimorum fallibili, sed verbi divini unice infallibili autoritati innixam, scrutetur ardentissime, ut hujus, per Spiritus Sancti testimonium, convictus, non subinde tantum eandem in quovis articulo evolvat, atque ruminet thesin, sed accuratiorem quoque thesios ex Theologorum nostrorum Systematibus & collegiis habitis, hauriat cognitionem,

HOIE

non minimā requirere videtur necessitas, ita tamen ut *oratio*, pro Spiritus Sancti continuanda gratia illuminante & sanctificante, & *meditatio* non negligatur. Et huic Icopo inservire possunt *Enchiridion Chemnitii*, *Loci Theolog. Hafsenrefferi*, *D. Scherzeri Breviculus*, cum *Systemate*, *D. Rönigs Theolog. Positiva*, & quod nuperrime secundum *D. Rönigs Theolog. Methodum*, quam accuratissime elaboratum, & in lucem editum est *D. Quenstedii Systema*. Huic studio adjungenda omnino, ut accurata acquiratur Theologiæ cognitio, accuratior librorum *Symbolicorum* lectio, & relectio, ut Studio sus Theologiæ non tantum in Ecclesiæ doctrina erudiatur, sed etiam adversarios contradicentes rectè refutare possit. Licet enim pro primaria fidei norma, quæ sola & unica est Scriptura Sacra, illa Symbola non venditem, pro secundaria tamen, ad quam singula dogmata examinari, & per quam nostra Ecclesia ab aliis falsis discerni debet, ob apertum cum Scriptura consensum, merito habemus. Hujus autem studia sequentia præcepta dirigere queunt. (1.) Ipse textus sæpe repetatur atque diligenter consideretur. (2.) Commentatores adhibeantur & studiosè perlegantur. (3.) Conjungatur etiam lectio aliorum, ad Symbolicos proxime accedentium, ut puriorum Patrum, Lutheri & aliorum *πυροσώς* Lutheranorum (4) Fiant loci Symbolici & annotentur in peculiari volumine illa, quæ ad explicationem Scriptorum Symbolicorum faciunt. (5.) Instituatur collegium Symbolicum disputatorium, ubi *materia nudus textus esse debet*, & hac ratione ille diligenter legetur, accurate examinabitur, & adversariorum strophæ & convitia proferri possunt. Hic autem cauto animo opus est, ne Theologiam discamus, omissis vel non attentis sc. iis, quæ regenito Dei Filio necessaria sunt quam maximè. *Multa enim profectò scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi, quæ ignorantia non habent excusationem, ait Bernhardus*, scienter & apposite, si tempora nostra consideraveris. Deinde *non in illis sumus illicite curiosi, quæ Deus occulta esse voluit. Melior enim est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis, magis eligo cautam ignorantiam, quam falsam scientiam profiteri. Augustin. Serm. XX. de verb. Apost. T. X. col. 360. & Lib. IIX. c. v. de gen. ad lit. Tom. III. col. 260. & Epist. 78. ad Hefich. in fin. Tom. II. Col. 345.* Hic etiam cavere precibus ardentibus, Theologiæ iudagator omnino debet, ut non corticem tantum, sed nucleum etiam doctrinæ Theolog. puta Jesum Christum nanciscatur, possideat, sentiat & insimul Scripturæ adhæreat fixissime, ne de veritatis via, vel inani quorundam autoritate, vel prava hujus seculi consuetudine, vel præconceptis suis opinionibus, declinet. Quidam enim, aut pro aliorum sententia, aut pro suo arbitrio, constituunt fidei articulos, & er-

tori-

roribus intricati sunt gravissimis. Multi indagaverunt fidem historicam, *mis-*
sa profus salvetica, nonnulli vitæ pietatem indagaverunt, neglectâ fidei Chri-
stianæ veritate, & puritate, quorum exempla multi postea secuti sunt impruden-
ter, & adhuc, ad Ecclesiæ majorem corruptionem & acerbiorum animorum
interitum, sequuntur.

§. XVII. Cum autem veritas clarius cognoscatur, quando in contrari-
am partem oculus flexitur, in adversariorum sententiam inquirere, & ad ver-
bum Dei examinare, à partibus Studiosi Theologiæ non sane alienum puto.
Contraria enim juxta se posita magis elucescunt. Ad hæc Scriptura utilis
est, non tantum ad *διδασκαλίαν*, sed etiam *ἐλέγχον* 2. Tim. III. 16. Ut hinc
Scripturæ Studiosus solers fieri possit, non tantum *διδακτικῶς*, sed etiam *δυ-*
νατὸς τῆς ἀντιλέγοντος ἐλέγχων Tit. I. 9. Quammaximè ad puram verita-
tem, & inquirendam, & defendendam atque tuendam pertinet, sententias ac-
curatè & amicè conferre, & quæ earundem verbo Dei sit conformior, spectare.
Uti etiam hoc in genere prævivere nobis cum Sanctis innumeris, Christus &
Apostoli. Ut taceam, viam monstrari ad difficiliorum locorum Scriptu-
ræ explicationem, & *Φαινόμενος* sibi contradicentium conciliationem. Si
autem plus sperari utilitatis, quàm timeri damni debet à studio Polemicorum,
eorumque exercitio in Ecclesia Christi, hic præ ceteris præsupponitur per gra-
tiam regenerationis & conversionis collata, viva, efficax, & actu sanctificans
veritatis ex Scriptura S., secundum librorum Symbolicorum, aliorumque *ση-*
σιῶς Lutheranorum Theologorum ductum, cognitio. Alias hoc potius ve-
rendum ne disputando veritas amittatur, & loco ejus errores periculosissimi
animum studiosi occupent atque corrumpant. Hanc comitetur dein-
de ardens pietatis studium, de quo videatur non tantum prolixè Gerhardus
in *Method. Stud. Theolog.* p. 179. 180. seqq. sed etiam audiatur B. D. Dann-
bawerus in *Theol. Dispp.* S. I. Cap. I. Art. V. p. 35. *quantum voluntatem atti-*
net, eam pietas exornare debet, quæ nisi familiam ducat, parvus non nisi dege-
neres nascuntur. In bono disputare primò exigimus pietatem, animam sapi-
entia, ejusque condimentum. Sine illa enim nemo melior Doctor esset, quam
Spiritus ille fallacissimus *Cacodæmon*, si sola eruditione bonus Doctor absolve-
retur. It. *Augustin. Lib. IV. c. 16. celeritas intelligendi & disputandi acumen,*
donum Dei est, sed si Deo ipsi non sacrifices, non ad usum, sed perniciem magis
valet. Hæc autem pietas vera per fidem salvificam in corde radicatur, in
prece ardenti pro nostra & adversariorum mentis per Spiritum S. illu-
minatione, in vitæ sanctæ atque inculpatae studio, omniumque offendiculo-
rum pia vitiatione, in maxima amoris sinceri demonstratione, dum argumen-
tis invictis errorum periculosorum mentem ipsorum convincere nitimur,

C

deni-

denique in omni, quæ exhiberi potest adversario, benignitate sese manifestat. Hac si quis processit methodo, eveniet, ut non ipse tantum doctrinam cœlestem, tanquam divinam sentiat, & experiatur intus, & intellectus, pulsus errorum tenebris, magis magisque illuminetur, sed etiam adversarius errorum, quos hactenus fovit, gravitatem videat, & tremebundus agnoscat, ad fidem, & per illam ad Christum & Deum, ceti unicum beatorum scopum, perducat, nisi malitiosè resistat, quam-certissime & felicissime. Alià autem vià qui veritatem agnoscere, falsitatem refellere, spreto nempe pietatis, solo controversiarum adhibito studio, annititur: Theologi olim Rostoch. celeberr. B. D. Joh. Affelmanni pronunciatum severissimum omnino audiat, qui studiosos Theologiæ in quodam programmate ita allocutus est: *Maledictos pronunciare non dubitamus, qui serio sincera pietatis studio, & accuratiore interioris hominis curâ post-habita, apicem Theologiæ in disputando constitutum censent, adeoque linguam Deo, animam dant Diabolo.* Bernhardus optimè loquitur Serm. 24. super Cant. p. 565. *Novimus enim, Christum esse conjunctivè, non disjunctivè, viam, veritatem, vitam Job. XIV. 6. viam, ratione vite, quæ serio studio est imitanda, veritatem, ratione doctrine, quæ fideli corde est apprehendenda; vitam, ratione meriti, quod vera fide amplectendum.* Querelas super ejusmodi hominum, plus satis hodie multiplicatorum, statum periculosum, Ecclesiæ Dei pestiferum maximè, qui legere vult, legat à D. Chytræo, Selneccero. Dunkelio, Joh. Val. Andrææ, fusas & allegatas in piis desideriiis D. Speneri.

§. XVIII. Cum autem maximum sit situm momentum, in recto & salutari Scripturæ sensu acqvirendo, & huic soli suum Theologia genuina debeat originem Matt. XI, 6. Pf. CXIX, 18. 2. Tim. III, 15. Luc. XXIV, 27. Luc. XVI, 29. 2. Petr. I, 21. Exegetica, ut vocatur, Theologia, à Theologiæ Studio, post continuatas serias ad Deum preces, cui soli sunt claves, clauso hnic Gazophylazio referendo idoneæ, ad Christum quoque quærendum intentionem directam, ex optimis optimorum Theologorum præceptis haurienda, & hausta, fideli cum curâ & labore indefesso excolenda. Cum autem hæc res altioris sit indaginis, & à multis viris & Theolog. inclutis (inter quos eminent Franzius in lib. de interpretatione Scripturæ S., Pfeifferei Hermenevtica atque Critica Sacra) plus satis sit enucleata, atque eviscerata, prolixitate, in modo verum indagendi sensum monstrando, superfedebat, & paucas tantum regulas, ex B. D. Balduini *Idea Dispos. Bibl. Cap. XI. p. m. 12.* oculis Lectoris benevoli subijciam. *Quicumque igitur de textu quovis Biblico sollicitus est, ut de eo cum fructu, salute sui, & aliorum legat, disserat, ante omnia videat, ut verum ejus sensum assequatur. Nam ut Hieronymus alicubi dixit: Verbum Dei non reſſe intellectum, non est verbum Dei. Ut autem sensus ille literalis (rejecimus enim*

enim

enim veterum quorundam ineptias, qui uniuscujusque Scripturæ quatuor sensus esse dixere, literalem, moralem sive tropologicum, Allegoricum & anagogicum, quæ de re Vid. Augustin. *Lib. de genesi ad lib. oper. imperfecti. c. 2.* Bagninus de variis sensibus Scripturæ, Flacius *part. 2. Clavis Scripturæ tract. de ratione cognoscendi Sacras literas*) solide perspicue & efficaciter percipiatur, sequentes observentur regulæ. (I.) *Scripturam esse θεόπνευστον, & dissensatores ejus à Spiritu Sancto actos esse credamus*, per 2. Petr. I, 21. Act. II, 31. & IV, 30. 36. (II.) *Scripturam, si fieri potest, in originali sua lingua legat interpret, ne alienis oculis videre cogatur, præsertim in ista versionum varietate.* Habet enim quælibet lingua suos idiotismos, & sæpe unius vocis in originali ea est emphasis, quam versio non exprimere potest, & talis in ipsa doctrina latet, qualis in versione nusquam apparet, quod duobus vide demonstratum exemplis apud citatum Balduinum. (III.) *Textus non semel, sed aliquoties cum summa attentione, evolutione & inspectione est perlegendus, Nam Scripturæ Sacre in obscurioribus locis quasi cibus sunt, qui exponendo frangitur, & manducando glutitur, In locis autem apertioribus quasi potus, qui ita sorbetur, sicut invenitur, inquit Gregorius M. Lib. I. moral. c. 21.* (IV.) *Perdiligenter in verba phrasæque Scripturæ inquirendum, quem habeant sensum, & quomodo Scripturæ in locis usurpentur.* (V.) *Cum sensus verus ex solis vocibus aut phrasi non ita sit liquidus, curandus etiam est scopus sive coherentia textus, sive quomodo consequentia cum antecedentibus cohercat.* (VI.) *Ut locorum obscuriorum etiam interpretatio fieri possit, similium locorum collatio est instituenda.* Nam, ut Bonaventura putat Homil. 19. in Hexamer. *Tota Scriptura est quasi unica cithara, & sicut chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis; Similiter unus locus Scripturæ dependet ab alio. Ne autem παραλογισμὸς committatur, conciliatio Scripturarum, non ex locis peregrinis (secundum morem Photinianorum & aliorum) sed similibus fieri debet* (VII.) *Interpretum lectio non plane post accuratam Scripturæ collationem, est negligenda, ita tamen, ut cum judicio fiat.* Quomodo verò Patres, & quoniam eorum præcipue, & magno cum fructu legi debeant, quam accurate & prolixè satis ostendit D. Gerhardus in *Method. Stud. Theolog. p. m. 244. &c.* ut tribus modum Patres legendi ostendam, scias (1.) Patrum Scripta ad normam Scripturæ esse examinanda (2.) Ad lectionem Patrum afferendam esse sincerioris Theologiæ ideam, ex Scripturis Sacris conceptam, animo firmiter infixam (3.) Genuina Patrum scripta, ab adulterinis & supposititis probè esse discernenda (4.) Antiquorum scripta recentioribus esse præferenda, quò enim ab Apostolorum temporibus adfuerunt propius, eo sincerius literas divinas tractant, & doctrinam coelestem purius explicant, quemadmodum rivus, quo à fonte

abit longius, eò plus coeni, & illuviei contrahit. Recentiorum interpretum scriptis, secundum verissimum Melanchtonis iudicium, Lutheri nostri illuminatissimi, inqve Sacris quam verfatissimi, enarrationes & scripta longissime multas ob causas sunt præferenda. *Nam, ut Masius, homo Pontificius, confessus est, in una scriptorum Lutheri pagella, plus solida ac Theologica eruditionis invenitur, quam in multis Patrum scriptis Vid. Gerhard. l. c. p. 241. seqq.*

§. XIX. Præterea apprime Studioso Theologiæ necessarium erit, genuinum Theologiæ moralis studium. Proprius enim & formalis Theologi finis est, ut ex propria malitia & miseria, ad veram sanctitatem & beatitudinem, ad Deum ipsum, à quo per malitiam, suam avulsus est, reducatur, 1. Joh. I, 23. Joh. XVII, 23. 24. Tit. I, 1. Act. XXVI, 18. 1. Cor. I, 9. Homo enim qui vis natura pessimus est, exinde infelicissimus, ut de se fatetur Paulus Rom. VII, 18. 24. Ut autem homo miserimus, per conversionem, unionem mysticam, justificationem & renovationem, ab hac sua malitia & miseria liberatus, ad pristinam reducatur sanctitatem & beatitudinem, verbum veritatis revelare, & scrutandum tradere homini voluit Deus Benignissimus. Quare, qui beneficiali, (ut sic loquar) Theologiæ, moralem jungere, Spiritus Sancti opera adjutus, annititur, ille primo statim malitiam, miseriam, vanitatem suam, advertet, deprehendet, sentiet, ita ut suam sapientiam pro nihilo, suam voluntatem extra Deum, nil nisi peccatum, suas vires, potentiam, prosperitatem, pulchritudinem & similia bona meram vanitatem & nihilum reputare discat, sicut universa scriptura hominem ad hoc suum nihil remittit, ut in eo sudet & ad Deum in Christo Jesu exinde anhelare discat cum Davide Ps. 42. v. 1. 2. seqq. Et sic redeat idem etiam ad Deum, ceu ipsius principium, & cum eo per Christum, unicum Mediatorem, vera fide jungatur, in eo quiescat, in eo veram sanctitatem & beatitudinem inveniat, ut soli Deo adhærescat super omnia, huic se subiciat, huic soli se formandum, fingendum & beandum committat, ut quicquid sapit, id Deo & in Deo sapiat, quicquid vult, id velit ad divinam voluntatem, omnia agat propter Deum, omnia pati & relinquere non dubitet propter Deum, atqve ita ad divinam imaginem in divina nempe sapientia, justitia, veritate, mansuetudine aliisque virtutibus magis magisque reformetur, & ipse in sese nihil, Deus vero in ipso sit omnia. Ut igitur hic finis obtineatur, Theologi nempe perfectio, & vera ad imaginem restauratio, hic imperfecta, illic perfecta, cum fructu optatissimo morali Theologiæ opera impenditur, & cum jactura incomperabili negligitur. Eo nomine Paulus doctrinam Theol. vocat *οικονομίαν τῆς θεῆς* 1. Tim. I, 4. quia per eam Deus & divina in homine extrui & efformari debent. Et 2. Tim. III, 16. cum *διδασκαλία & ἐλέγχος τὴν παιδείαν & ἐπιπρόσθετον* conjungit, & sic quam maximam

ximam Studii Theologiæ moralis necessitatem quilibet ex adductis perspicere. Ad hanc vero excolendam, in primis continua & ardens legis, ceu unici hujus Theologiæ principii, meditatio *Pf. I. & CXIX.* à Spiritu S. commendatur *Conf. Prov. I. & II. III. Matt. V. VI. VII. 1. Petr. I. 1. Job. III, 4. 5.* Cui subnecti potest Moralistarum lectio, qui è Nostratibus sunt *Dannh. Thummus, Gerbardus in scobla pietatis. Job. Adam Osiander, in Theologia morali, Botfaccus, Geier in Proverb. & Eccles. Ditericus in Syracidem, Hülfemannus in Jeremiam, Pikerus, Job. Arnd. in ver. Christ. & Comment. in Psalm. Lutherus, Morlinus, Stegmannus, Peyerius, Dürrius, Egardus, Cesterus, Scriverius.* Ex Pontificiis, qui cum judicio & prudentia legendi sunt, Opera *Drexelij, Theologia moralis Laymanni, moralia Bellarmini, Stapletonii, opera Granatenfis, Gyraldi summa virtutum & vitiorum, Carolus Scribanus in medico religioso, ut & Sandius in Theol. mystica.* Ex Reformatis, *Daneus, Perkinsius, Rivetus, Halle.* Ex veteribus, *Taulerus, Thomas de Kempis, ut & opera Gersonis.* Hos vero omnes, si cum fructu non pœnitendo inquirere gestias, non exteriora tantum opera, sed interiora etiam, & ante omnia interioris hominis perfectionem, veteris hominis mortificationem, sui ipsius abnegationem, mundi despectum intendas, atqve affectes necesse est. Alias, etiam maximo adhibito studio, cœcus, perversus atqve miser manebis, nec Theologi moralis nomen mereberis.

§. XX. Cum autem homini, in Theologiæ moralis perceptione solida & exercitio accurato sudanti, non pauca obveniant, quæ conscientiam turbare, atqve in suspensio tenere possunt, Consilium hîc est Theologorum non contemnendum, ut etiam studium arripiatur *Theologiæ casualis*, quo conscientia vel instruat, vel erigatur, vel emendetur, vel consolidetur. Cum autem hoc studium sit prolixissimum, imo nullis fere terminis, aut limitibus circumscriptum, siquidem casus dari possint innumeri, nec à Studiofo Theologiæ requiratur, eorum, quæ de casibus conscientiæ tradita sunt, pervestigatio, non opus est, ut se immergat vastissimis Casistarum voluminibus, aut Summulistarum vel Canonistarum, dum saltem delibet summe necessaria, Consilia autem possunt *Dn. D. Balduinus in casibus conscientiæ, Dn. D. Dannh. Theolog. Conf. it. Consilia Theolog. Wirtebergens. D. Dedekinnus in duobus voluminibus consiliorum Theolog. Consilia Bidenbachij, Mengerling in scrutinio conscientiæ catechetico, Dunre decisiones Cas. Conf. D. Kesleri Theolog. casus Conf.* Ex his suffecerit Studiofo Theologiæ, vel unicum tractatum aureum *Balduini de casibus conscientiæ evoluisse*, cetera judicio maturiori & experientiæ relinquenda. Digeri autem possunt casus conscientiæ, vel secundum LL. Theologicos, vel secundum partes catecheticas, vel etiam propria ac peculiari methodo.

§. XXI. Restat, ut etiam ultimò ostendamus, quã ratione Theologiae discipulus, finem Theologiae indagans, aliosque ad eundem perducere anitens, in homiletico se rectè gerere studio, necesse habeat: Est certe homiliarum exercitium, medium illud divinitus ordinatum, quo Deo sapientissimo visum fuit, homines cœcos illuminare, perversos convertere, sibi inimicos ad gratiæ, & amoris sui in Christo agnitionem, & participationem perducere, contaminatos purgare & sanctificare, & damnatos salvare 1. Cor. I. v. 21. Non autem omne à Deo in hoc officio ad homines vel convertendos, vel confortandos, desideratum, satis feliciter curabitur; nisi qui id subierit, requisitis gaudeat ad id necessariis, ipsemet per vocationis, illuminationis & conversionis gratiam in statu fidei & gratiæ degat, mentem Domini, ex Scriptura Sacra solidè & salutariter noverit, precibus seriis, ardentibus, Deoque in Christo gratis, sine intermissione invigilet, nomen divinum sanctificet, regni Christi incrementum & conservationem unice quærat, vitæque sanctæ & inculpatæ Ecclesiæ præluceat; quin potius, his non repertis, innumerorum conversio & sanatio negligetur, impediatur, & pernicies inducatur æterna Syr. XV. XXXIX. Id quod præter alios innumeros *Celeberr. D. Spenerus in lib. quem inscripsit. Die allgemeine Gottes Gelahrtheit It. B. M. Theophilus Großgebauer in Wächterstimme. D. Müller in Erquickst. p. 157. ex verbo Dei ad oculum demonstrarunt, qui hic legi & consuli quam-maxime merentur It. Scriver. in Seelenschahz f. 898. 901. 902. &c. Cyprianus Libr. de duod. abus. seculi c. I. Primus abusivus gradus est, si sine operibus sapiens & prædicator fuerit. Nunquam enim sit efficax constituentis autoritas, nisi eam affectu operis cordi affixerit. Unde & ipse Dominus in Evangelio de doctrina pariter, & bono opere instruere volens discipulos, qualem in hic cautelam haberent, admonebat, dicens: Quod si salvanuerit, in quo salietur. Sic etiam Origenes Homil. XIX. in Levit. Cap. XIII. inquit. Nonne palam est & inaperto positum, quod ei, qui in ipsa lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur & os, ut fiducia sermonis, & docendi autoritas excludatur. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis &c. clausum ergo habet os peccator, quia, qui ipse se non docuit, docere alium non potest, & ideo os suum jubeatur operire, qui male agendo perdidit dicendi libertatem. Huc pertinet etiam Job. Chrysost. Homil. 30. in acta. Si non habueris opus bonum, non solum non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis, utilisque fuerit tacere. Hic conferri possunt porro Augustin. Lib. IV. de doctrina Christi. c. 27. Prosper de vita contempl. Lib. III. c. 14. Gregorius M. P. III. cap. ult. & Id. Homil. 21. in Ezech. & L. II. moral. cap. 29. 30. L. II. moral. cap. 9. 10. Hieron. Epist. ad fabr. de veste Sacerdot. Bernard. sermon. 77. in Cantic. Clemens Alexandrin. Lib. V. Strom. M. Scriv. in Seelenschahz p. 948. 949.*

§. XXII.

§. XXII. Quare hic quædam necessaria sunt, Homiletæ constituendo, & ante exercitium, nempe (1) γνώσις, non tantum theoretica Theologiæ Theticæ & Exegeticæ, ceterarumque specierum, sed etiam Christianismi fundamentalis, salutaris & practica 2. *Tim. III. 15. Alias cæcus cæcum in foveam perditionis seducet Conf. Scriiv. Seelenschatz p. 302. 305. 396. 397.* (2.) Collectio locorum practicum (3.) Scientia eorum, quæ methodo inserviunt, ut ordine & perspicue proponere omnia noverit. (4.) Experimentalis, à fidelibus Academia Professoribus & Ecclesiæ Pastoribus accepta, notitia, recte cum quolibet, auditorum ex mandati divini tenore & necessitatis rigore, ad ipsorum conversionem, justificationem, sanctificationem, confirmationem & salutem procedendi. Hæc enim neglectâ, omnis fere concio concionatoris ad concionem habita, in vanum abibit & fructu suo frustrabitur, non aliter quam semen in locum accommodum non jactum, & medicamentum minus recte applicatum, vim insitam exercere nequit *D. Spener. Theosoph. p. 237. 325.* (5.) Separatio à mundo 2. *Cor. VI, 14. 15. 16. 17. 18. c. IV, 15. 16. 17. Eph. V, 11. 1. Job, II, 15. 16. 17.* (6.) Spiritualis sacerdotii ceu præludii officii concionatorii sive pastoralis, ferum & indefessum exercitium, quemadmodum omnis Christianus, qui proficitur nomen Christi, Spiritu Christi ad Regale Sacerdotium quam-gloriosissime unctus, ejusdem quam-maximam rationem, per omnem vitam, in omni societate habet, ei que satisfacere studet, ita vel maxime ille, qui Sacro initiatus est studio & qui ad concionatorium officium animum applicuit, operâ allaborare debet maxima, optimâ quâlibet arrepta occasione, incisos erudiendi, incredulos & securos incredulitatis & status peccaminosi convincendi eosque terrefaciendi, desolatos consolandi & infirmatos confirmandi, miseris item, spiritualiter & corporaliter benefaciendi, quotidie deniq; Deo spirituales hostias offerendi. Nam quomodo ille multos rudes docere, multos incredulos ab incredulitate ad fidem, à tenebris ad lucem perducere, multos afflictos, ira Dei exustos, & Diaboli jaculis vexatos, consilio, auxilio, & solatio, ea qua debet prudentiâ, ardore, & humanitate, juvare potest, qui apud unum vel alterum hoc ipsum exercere aut nescit, aut detrectat. Quis ille pro universa Christi Ecclesiæ incolumitate sollicitare Deum precibus aptus erit, qui orationis devotæ exercitium etiam pro sua salute neglexit. Quare ille, qui cum fructu desideratissimo aggredi, atque deinde exequi annitur munus, Pastoris, Sacerdos fuerit spiritualis, & Christiani fideliter expleverit partes, necessum est. *Vid. hic & Conf. B. Großgebaur Wächter. Stimme p. m. 61. 92. 95. It. D. Speneri pia desideria p. m. 282. 298. 99. 100.*

§. XXIII. Necessaria etiam quædam sunt in ipso homiliarum exercitio constituto & quidem (1) Oratio ad impetrandum lumen & benedictionem ardentissima

tissima *Luc. XI. 9. 10. Cap. XII. 1. 8. Job. XV. 3. Act. VI. 4. 1. Cor. III. 4. 5. 6. 7. 2. Cor. III. 5. 2. Cor. II. c. IV. c. V. 2. Cor. IV. 6. Eph. I. 17. 18. Nisi enim Dominus humen cognitionis, & fidei in animo auditoris accenderit, nunquam id sua homo virtute aliis rectè impertiri poterit. Nisi benedictione divina munus operetur in vinea operarius DEI, laborat in vanum, nec omne ad convertendos, sive confirmandos homines requisitum perficit, 1. *Cor. III. 6. 2. Cor. III. 4. 5.* (2) Meditatio in verbo genuina orationi succurrat. Verbum enim probe expensum, animoque manifestatum, instar virtutis singularis, nutrimenti & fulcimenti inservit interno homini omnibusque ejus actionibus *Gen. XXIV. 63. Act. XVI. 24. Psal. I. & CXIX. Matth. XXIV. 15. Job. V. 39. 2. Petr. II. 21.* Tandiu autem meditationi Sacrae inhærendum & immanendum, donec Spiritus verbo unitus, Spiritui meditantis testetur, hunc & non alium esse sensum & mentem Domini, ipseque vim & efficaciam verbi experiat, veritatisque divinæ convincatur. Quare quam-miserime falluntur & fallunt, qui vel Postillis quibuscunque dediti, vel concionibus iisdem semel elaboratis denuo utentes, meditationem sacram negligunt, & susque deque habent. Hi eheu! se & alios decipiunt. Alienis enim oculis vident, aliena fide credunt, adeoque, quid dicant & doceant nesciunt. *Conf. M. Scriv. Seelenschatz p. 303. 304.* Viam ad genuinam in lege Dei meditationem aperuere inter alios viros *Frédéricus B. Lutherus, Arndius, Lückemannus, M. Scriverus, D. Spenerus, Großgebauer/Bayl. aliq. etiam* scriptis præcipue homileticis & asceticis. (3) de interna vocatione certus, externaque instructus, debitum in omnibus concionibus habeat scopum necesse est, ut nempe gloria nominis Dei quaeratur, auditores per legem miseræ spiritualis convicti, per fidem Evangelio accensam ad communionem internam cum Christo unico mediatore, & ejus regnum adducantur, & adducti justificentur, internè renoventur, sanctificentur, & confirmentur *Luc. I. 77. Act. XXVI. 18. 2. Petr. I. 3. 4. Job. I. 1. 2. Conf. D. Spenerus in piis desideriis p. 249. 150. 151. M. Scriver. Seelenschatz p. 268. 269. 387. 553. & 554. & alibi M. Großgebauer in der Wächtersinne c. 5. & 6.* Hic Pauli scopus est in omnibus suis Epistolis, quem sequi tutissimum & utilissimum. Ne vero quædam obsint obstacula, quo minus verbum, etiam plene & juxta Dei methodum præscriptam in sapientia coelesti prædicatum, fructum omnem assequi possit, (4) vitæ sanctæ studium, in homileta, desideratur à Spiritu Sancto quam-vehementissime *Matt. V. 16. 1. Petr. IV. 3. Tit. II. 7. 1. Tim. IV. 12. Conf. D. Speneri Theosophia p. m. 324. 325. M. Scriverius in Seelenschatz p. II. 310.* Quamquam enim verbum virtute sibi intrinseca, non à fide aut dignitate Pastoris dependente, operetur, sit tamen impia & profana Pastoris vita, ut multi auditores scandalizentur, malitiosius abicem verbo & Spiritui Sancto ponant, & pereant.*

O. D. G.



S. XXII. Quare hic quædam necessaria
 endo, & ante exercitium, nempe (1) *prædicatio*, non tan-
 Theticæ & Exegetica, ceterarumque specierum, sed
 damentalis, salutaris & practica 2. *Tim. III. 15. Alia*
 perditionis seducet *Conf. Scriiv. Seelenschaff p. 30*
 lectio locorum practicum (3.) Scientia eorum, quæ
 ordine & perspicuè proponere omnia noverit. (4.)
 bus Academix Professoribus & Ecclesiæ Pastoribus
 quolibet, auditorum ex mandati divini tenore & n-
 rum conversionem, justificationem, sanctificatione
 lutem procedendi. Hæc enim neglectâ, omnis fer-
 concionem habita, in vanum abibit & fructu suo fr-
 fermen in locum accommodum non jactum, & i-
 ste applicatum, vim insitam exercere nequit *D. Spen-*
Separatio à mundo 2. Cor. VI. 14. 15. 16. 17. 18. c. IV. 15. 16. 17.
 (6.) Spiritualis sacerdotii ceu præludii officii co-
 ferium & indefessum exercitium, quemadmodum o-
 fitetur nomen Christi, Spiritu Christi ad Regale Sa-
 sime unctus, ejusdem quam-maximam rationem, p-
 societate habet, eiqve satisfacere studet, ita vel max-
 est studio & qui ad concionatorium officium animur-
 re debet maxima, optimâ quâlibet arrepta occasio-
 dulos & securos incredulitatis & status peccamin-
 refaciendi, desolatos consolandi & infirmatos cor-
 ritualiter & corporaliter benefaciendi, quotidie der-
 offerendi. Nam quomodo ille multos rudes docer-
 credulitate ad fidem, à tenebris ad lucem perducer-
 exustos, & Diaboli jaculis vexatos, consilio, auxili-
 prudentiâ, ardore, & humanitate, juvare potest, qui
 hoc ipsum exercere aut nescit, aut detrectat. Qui ille
 fiæ incolumitate sollicitare Deum precibus aptu-
 exercitium etiam pro sua salute neglexit. Quare il-
 tissimo aggredi, atque deinde exequi annitur mun-
 spiritualis, & Christiani fideliter expleverit partes
Conf. B. Broßgebaur Wächter, Stimme p. m. 61
fideria p. m. 282. 298. 99. 100.

S. XXIII. Necessaria etiam quædam sunt in ip-
 situto & quidem (1) Oratio ad impetrandum luma-

æ constitu-
 Theologiæ
 nismi fun-
 in focam
 (2.) Col-
 erviunt, ut
 lis, à fideli-
 recte cum
 re, ad ipso-
 nem & sa-
 onatoris ad
 aliter quam
 minus re-
 237. 325. (5.)
 II, 15. 16. 17.
 pastoralis,
 as, qui pro-
 a-gloriosis-
 m, in omni
 ro initiatus
 à allabora-
 endi, incre-
 eosque ter-
 ris item, spi-
 ales hostias
 dulos ab in-
 tos, ira Dei
 qua debet
 vel alterum
 hristi Eccle-
 onis devotè
 tu desidera-
 erdos fuerit
Vid. hic &
neri pia de-
 exercitio con-
 nem arden-
 tissima

